





1795, 3

1046

5

DISSERTATIO IN AVGVRALIS

DE

# VI ET EFFICACIA CAVTELARVM

PRO

TVENDO IVRE CONDVCTORIS

ADVERSUS

EMTOREM REI LOCATAE EXPELLENTEM

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

PRO

CONSEQVENDIS

SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS

D. XXX. IVN. MDCCXCV.

PVBLINE DEFENDET

AVCTOR

HENRICVS LAMPE

BREMANVS.

---

GOETTINGAE

TYPIS IO. CHR. DIETERICH.

LIBRARY OF THE UNIVERSITY  
AT THE FESTIVAL OF VICTORY AT HALLE

BY THE CONVENTION  
OF THE COVENANT EXISTENT IN

THESEAS, TOLKIEN, ORDNIS VACATIONE



THE LIBRARY  
OF THE UNIVERSITY  
AT HALLE

COLLECTED  
IN THE LIBRARY

LIBERAE ATQVE INCLVTAE

S. R. I.

HANSEATICAE CIVITATIS BREMENSIS

SENATVI SPLENDIDISSIMO

V I R I S

MAGNIFICIS, PERILLVSTRIBVS, EXCELLENTISSIMIS,

CONSVLTISSIMIS, AMPLISSLIMIS, GRAVISSIMIS

C O N S V L I B V S

S Y N D I C I S

S E N A T O R I B V S

ET INTER HOS

PARENTI SVO AETATEM DEVENERANDO

PATRIAEC PATRIBVS OPTIMIS

PATRONIS ATQVE FAVTORIBVS SVIS

SVMMO HONORIS AC PIETATIS CVLTV MAXIMOPERE

PROSEQVENDIS

HAS QVALESCVNQVE  
ACADEMICORVM STVDIORVM PRIMITIAS  
EA QVA PAR EST  
ANIMI DEVOTI SVBMISSIONE  
SACRAS FACIT  
TANTORVM NOMINUM  
SYNDICIS  
AVCTORUM  
ET INTER HOC  
TYPENSI SVO AESTATEM DEVENTERVNDO  
TYPENSI TATIVS OPTIMS  
PATRONA TYPOTOMIAE SAVIS  
CULTOR OBSERVANTISSIMVS  
AVCTOR.

DE  
VI ET EFFICACIA CAVTELARVM  
PRO  
TVENDO IVRE CONDVCTORIS  
ADVERSVS  
EMTOREM REI LOCATAE EXPELLENTEM.

§. 1.

*Argumenti ratio.*

Tam antiqua sane quaestio est, tamque foecunda semper controversiis iuris, recentiori quoque aetate subinde magnis animorum motibus agitata, et ad rauim et nau- seam usque decantata, an scil. emtor, aliusue successor singularis, stare debeat locatione antecessoris, ut, si LIPENII Bibliothecam realem (1) et Ioh. CHR. LVDEWIGIVM in diss. inde emtore non stante locationi antecessoris (2) aideas, in-

gens

(1) Ed. Lipsiae 1757. Tom. I. *contr. iuris civ.* Sect. 3. cap. 4. pag. 297. 453. 852. et suppl. Vol. I. memb. 4. subs. 2. §. 12. et Hallische Beyträge zu der juristischen Gelehrten-Geschichte, 7tes Stück. pag. 113. 312. — nec non Vol. II. pag. 264.

(2) *Habita Goettingae 1762.* Adde pag. 525. CAR. FRID. WALCHII *introd.* in A

gens tibi L. B. scriptorum cohors occurrat, qui in enucleando et excutiendo hoc quotidiani vsus argumento industriam suam exercuerunt.

Principem causam litis, sub finem seculi XVII. agitatae HERM. ZOLLIVM, antecessorem Rintheliensem<sup>(3)</sup> fuisse, inter omnes constat. Is enim in communem opinionem et in enatum illud vulgare: *Kauf geht vor Miethe*, egregia et singulari sane diligentia, nouiore aetate primus inquisiuit, illudque *tritum* pro viribus impugnauit: cui deinde acriter sese opposuit OTTO PHIL. ZAVNSCHLEIFFERVS<sup>(4)</sup> ICTus Marburgensis, defensionem communis opinionis in se suscipiendo eamque eadem industria persequendo, qua aduersarius grauissimus illius oppugnationem incepérat. Subsecutis deinde ex vtraque parte responsionibus<sup>(5)</sup>, EPHR. GERHARDVM in diss. de reg. iuris Germ. *Kauf geht vor Miethe*<sup>(6)</sup> litem diremisse, tantum non omnes fatentur; de cuius assertionis veritate equidem arbiter esse nolo; hinc iudicent alii, qui scientiis doctrinis et auctoritatibus mihi longe excellunt.

In foris nostris eorum sententiam vsu receptam esse scimus, qui iuxta mentem constitutionis *Alexandri Imp.* quae continentur in L. 9. C. de loc. cond. hanc quaestio-

nem

(3) In diss. ad L. 9. C. loc. cond. Rinth. 1687. in opp. ZAVNSCHL. pag. 59.

(4) In vindiciis sec. comm. interpr. L. 9. C. de loc. cond. — in opp. iurid. Francf. ad Moen. 1699. pag. 76.

(5) Quas vide apud EISENHART in den Grunds. der deutschen Rechte in Sprüchwörtern — ed. d. a. 1759.

P. 353. — vide etiam WALCHIVM l.c.

(6) Quae habita est Altorf. 1718.

nem decidunt; scil. necesse non esse emtorem fundi stare colono, cui prior dominus locauit. Nec obstat regula iuris naturae (<sup>7</sup>), quae etiam iure Rom. agnita est (<sup>8</sup>), neminem scil. plus iuris in alterum transferre posse, quam ipse haberet. Est enim haec regula  $\alpha$ ) generalis, quae in substratis materiis circumspecte et prudenter applicari debet, quod eleganter probatum dedit LVEDEWIG l. c. §. 54. sqq. Deinde  $\beta$ ) restrictio illa dominii rei locatae personam tantum locatoris afficere videtur, quae personam successoris singularis ideo tangere non potest, quod aperte deficit animus locatoris, illam simul transferendi; hinc etiam rem aliter se habere videmus, cum emtor rei locatae promiserit, se nolle conductorem expellere; certo et euidenti sane indicio, restrictiones personales non aliter transferri, quam voluntate partium. Quibus accedit  $\gamma$ ), quod aliae leges speciales non deficiant, regulae isti generali aperte repugnant, et expresse definientes, nec emtorem, nec legatarium, nec quemcumque alium successorem singularem teneri stare contractibus antecessoris (<sup>9</sup>). Sed quidquid eius rei sit, licet probetur nec iuri naturae nec iuri rom. esse conueniens, vt emtor expellat conductorem: habet et ius nostrum sua παράδοξα Δέματα, non minus quam

A 2 porti-

(7) Cf. tamen WOLF in I. N. Tom. 3. §. 363. TREVER et EV. OTTO in notis ad Pufend. de offic. hominiis et civ. Lib. I. cap. 15. §. 10.

(9) L. fin. ff. de iure fisci, L. 3. C. de mancipiis et colon. patrim., L. 32. ff. locati. Adde IO. DOMATI les loix civiles dans leur Ordre naturel. Liv. I. tit. IV. sect. 3. §. 4. —

(8) L. 54. de R. I., L. 20. pr. de A. R. D., L. 160. §. 2. de R. I.

Allgemeines Landrecht Preussischer Staaten Th. I. Tit. 19. §. 3.

porticus Chrysippi, Crantoris atque Zenonis, quo tunc omnino referri deberet constitutio ista *Alexandrina*, de qua monuisse sufficiat, illam in foris Germaniae tamdiu obtinere, donec specialis legis dispositio ab illa faciat diuortium (10).

Hinc

- (10) Eiusmodi diuertia vide sis in sequentibus: et quidem
  - I. ex iure rom. communi
    - a) si emtor ex lege emit, vt conductor permaneat in eadem conductione. L. 9. C. loc., L. 25. §. 1. eod. RICHTER in dec., part. 2. dec. 82. n. 6. — Vtrum in hoc casu necesse sit, vt conductorius cedatur aduersus emtorem, controuersum est. Affirmant MEVIVS part. 6. dec. 144. — HVBER in prael. ad tit. Inst. de loc. cond. §. 11. in fine. — Negat CONNANVS in comment. iuris civ. L. 7. c. 2.
    - b) Si quis a fisco conduxit. L. fin. ff. de iure fisci. Quae tamen lex, cum nominatiū de fundo fiscalī disponit, ad venditiones auctoritate fisci factas, vix extendi poterit.
    - c) Si de bonis locatoris concursus oritur, et res conducta distrahitur. L. 8. §. 1. ff. de reb. auct. ind. possid. — Quod tamen aliter se habet, si conductor est eridarius. Cf. vir perill. G. L. BOEHMIE in progr.
  - de iure circa conductionem orto aduersus conductorem obaeratum concursu. — in eiusd. Elec. iur. civ. Tom. I. exerc. XI.
  - II. Ex iure Germ. statutario
    - a) in statutis Hamburg. part. 2. tit. 9. §. 13.
    - b) In reform. Francof. part. 2. tit. 14. §. 11.
    - c) In statuto Verdensi XII. sub rubro: *Koop brück Häre*. — Quod statutum typis expressum videre est apud PvFEND. in obs. iur. vniu. Tom. I. append. pag. 82.
    - d) In multis aliis legibus specialibus, quas recenset LVDEWIG l.c. §. 51. — In statutis Bremeribus, quorum historiam egregie elaboratam exhibet GERH. VON DEM BVSCHE, in scripto elegantissimo: *continens quaestiones de mercede in loc. cond. ex iure roman. et statuto Bremensi LXXIV. part. 2. pag. 29 seqq.* nihil de hac materia dispositum legimus; hinc ins communē sequendum esse videtur.

Hinc missa hac contiouersia iuris, in praesentiarum id tantum anquirere apud me constitui, *an et quatenus consilia conductori a ICtis hinc inde suppeditata, tanti sint ponderis et efficacie, ut ne is a SVCCESORE SINGULARI VLLA RATIONE EXPELLI POSSIT.* Quod lemma, cum a viris doctis sigillatim et data opera ita penitus exhaustum non intelligatur, quin reliquis nil plane restaret pertexendum; nihil praeter rem me facturum existimo, si occasione summorum in vtroque iure honorum rite capessendorum, dicti argumenti pro modulo virium, tractandi explicandique consilium cepisse profiteor.

## SECTIO I.

## GENERALIA

SISTENS  
DE CAVTELIS CONDVCTORI A ICTIS COMMENDATIS.

§. 2.  
*Cautelae recensentur generatim.*

Cum canon iste vel centies decantatus: *Kauf bricht Miethe*, in foris nostris ita inueteratus inueniatur, vt de loco suo moueri nequeat, difficilis aleae profecto res est, conducere aedes siue ad modicum siue ad longius tempus, propterea, quod locator ceu dominus, durante contractu, suo iure illas alienare potest, ita, vt iuxta sententiam receptam successor singularis expellere possit conductorem: cui tamen, quamvis actione in personam regressum habeat aduersus venditorem ad consequendum id quod eius interest, ingens nimium saepe damnum exinde oritur, nouam sedem et habitationem circumspiciendo, remque suam familiarem inutilibus sumtibus aliter constituendo. Hinc ICti, qui receptam sententiam defendunt, operam suam in suppeditandis cautionibus iam dudum collocarunt, et iis adhibitis, conductorem ex omni parte securum esse, suis auctoritatibus statuere arbitrati sunt. Quas cautiones vt iam *generatim* recenseam, ordo rei postulare videtur.

*Prima*

*Prima cautio in pactum aliquod desinit, inter locatorem et conductorem ineundum, de re locata pendente contractu a locatore non alienanda.* Quod pactum commendant TITIVS<sup>(1)</sup>, EISENHART<sup>(2)</sup> et alii; — quibus tamen haud pauci contradicunt non sine iure. *Altera auctorem habet ICTUM BARBOSAM*<sup>(3)</sup>, et consistit in iurata locatoris promissione de re conducta ante usum finitum et sine voluntate conductoris non alienanda. *Tertia* delabitur in ius pignoris conductori in re locanda ad securitatem constituendum. Hanc cautionem commendant BARTOLVS, BALDVS, SALICETVS<sup>(4)</sup>, CARPZOVIVS<sup>(5)</sup>, STRYKIVS<sup>(6)</sup>, MULLER AD STRVVIVM<sup>(7)</sup>, HOHEISELIVS<sup>(8)</sup>, EISENHART<sup>(9)</sup>, LVDEWIG<sup>(10)</sup> et alii complures. *Quarta* absoluitur constitutione hypothecae in re locata, cum pacto de non alienando coniunctae. Illius mentionem iniiciunt, et magni faciunt, STRYK<sup>(11)</sup>, WERNER<sup>(12)</sup>, SCHAVMBVRG<sup>(13)</sup>,

ORTH

(1) Ad LAVTERE. Lib. XIX. tit. 2. verbis: *non alienaturum.*

(2) In den Grunds. der deutschen Rechte in Sprüchwörtern I. c.

(3) Ad L. 9. C. locati. Adde SE-PHARIN in tr. de priuil. iurium. Francof. 1679.

(4) Omnes ad L. 9. Cod. locati.

(5) Part. II. const. 37. def. 4. n. 5.

(6) In caut. contr. Sect. 2. cap. 9. §. 15. *Idem* in V. M. Lib. 19. tit. 2. §. 81.

(7) Exerc. 24. thes. 27. litt. e.

(8) In diss. *vtrum successor singu-*

*laris expellere queat cond.* §. 9. 10.

Halae 1735.

(9) In den Grunds. der deutschen Rechte in Sprüchwörtern I. c.

(10) In laudata diss. §. 21.

(11) In caut. contr. Sect. 2. c. 9.

(12) In obs. for. part. 2. obs. 360.

(13) In notis ad STRVV. Lib. 3. tit. 12. §. 15. n. 9.

ORTH<sup>(14)</sup>, AYRER<sup>(15)</sup>, CLAPROTH<sup>(16)</sup> etc. Quinta consistit in constituendo usufructu, iure emphyteuticario et superficie in re locanda conducenda. Cuius mentionem faciunt GOTHOFREDVS<sup>(17)</sup>, HONEISELVVS<sup>(18)</sup> et alii.

Quae cautiones, an reuera tanti sint roboris et efficaciae, ut conductorem aduersus successorem singularem plene et ex omni parte securum reddant, et hinc commendatione dignae intelligantur, iam meum est anquirere. Priusquam autem arcem ipsius rei adgrediar, operae premium erit, ut definiam, in quonam momento vis et euentus harum cautelarum consistere debeat, si plenum effectum aduersus emtorem etc. rei locatae habere dicantur.

### §. 3.

Cuius virtutis et euentus esse debeat cautio, si plenum effectum aduersus emtorem expellentem habere dicatur.

Naturam et indolem cuiuscunque cautionis verae et generatim sumptae, in eo consistere oportet, ut, ea prudenter adhibita, damnum iuste metuendum contrahentiibus auertatur. Deficiente cautioni hacce vi et virtute, imperfecta dici posset, quae nec nomen cautionis meretur. Si cautio effectus quidem habeat, qui tamen non tanti sunt ponderis et efficaciae, ut impedian, quo minus

(14) Ueber die Frankf. Reform. erste Forts. pag. 248.

(15) In dialatr. de genere act. aduersus cond. emtori cedere nolentem — in eiusd. opusc. varii arg. T. I. n. 6.

(16) In iurisprud. heurematica, part. 2. §. 305.

(17) In notis ad cit. L. 9. C. de loc. cond.

(18) Indiss. iam laudata §. 13. sqq.

negotium celebratum penitus tollatur, quamuis ratione eius quod interest agentes securos reddat, dum ius competens iam nunc facilius persequi liceat, quam antea: eam *minus quam perfectam* vocare nullus plane dubito. Quod si tandem consilium suppeditatum illius est euentus, ut contrahentibus *plene* prospiciat, ita, ut negotium gestum nulla ratione inuerti patiatur, nomine cautionis *perfectae* et *plenae* dignum omnino censebitur <sup>(1)</sup>.

Dum ICTi suis consiliis conductoribus prospicere gestiunt, ea ita sane comparata sint, necesse est, ut *plene* et cum euentu opinato iis prospiciatur. *Plene* autem conductoribus non consulitur, si consiliis datis non neglectis, id tantum obtinetur, quod illorum interest <sup>(2)</sup>. Quae assertio, quamvis paradoxa videatur, tamen ita vera inteligitur, quam quae verissima. Cum enim experiri actione per se iam sit incommodum, et probatio eius quod interest admodum difficilis, quae multoties ideo non procedit, quia detrimentum quod conductor expulsione capit, ob varias res quae circumstant, mente tantum percipere licet, nou ante oculos ponere: quilibet rerum locandarum aestimator facile mihi concedet, eas cautiones esse *minus quam perfectas*, quae id tantum operantur, ut conductor

(1) Divisionem *cautelarum* in legum in *perfectas*, *imperfectas*, et *perfectas*, *minus quam perfectas*, minus quam *perfectas*, conuenire, et *imperfectas*, quamvis nullibi eam mihi persuasum est. inuenire mihi licuerit: tamen na-

(2) Cf. VOET. in comm. ad D., Lib. XIX. tit. 2. §. 18.

ductor in subsidium miserum illud quod interest consequatur, quatenus scil. argumentis et rationibus probari potest. Quibus praemissis, iam nunc facilis erit responsio ad quaestionem propositam: cuius scil. virtutis et euentus esse debeat cautio, si plenum effectum aduersus emtorem expellentem habere dicatur? *Nimirum ita compara*ta esse debet, *vt conductor, non obstante alienatione, re conducta quiete frui, et ad finem vsque contractus in possessione illius sine contradictione et turbatione alterius permanere queat.*

Quem euentum, an suppeditata consilia virorum doctorum, conductoribus praestent, iam modeste et pro viribus meis dispiciam.

## SECTIO

## SECTIO II.

DE

CAUTIONIBVS A ICTLIS CONDVCOTORI SVPPEDITATIS  
SIGILLATIM ET DEINCEPS.

§. 4.

I. *De pacto inter locatorem et conductorem ineundo, de re locata pendente conductione a locatore non alienanda.*

*Prima cautio, de qua iuxta ordinem prae scriptum tractare constitui, in pactum aliquod desinit, inter locatorem et conductorem ineundum, de re scil. locata, pendente conductionis tempore a locatore non alienanda. Quoad efficaciam et euentum illius pacti, vti mea fert sententia, respiciendum esse puto, utrum sit reseruatum seu tale pactum, quo dominus rem suam alienans, ante illius traditionem sibi stipulatus est a successore singulari, ne eam alienet: an constitutium, quo quis scil. a domino rei, tanquam possessore illius ciuili actu tali, sibi demum promitti curat, ne eam donet, vendat etc. — Priori casu pactum in se omnimode validum est, testante id claris verbis Imp. Justiniano (1): Sancimus, licet hoc apud veteres dubitatur, tale pactum ex nostra lege esse souendum, et immutilatum permanere. Cuius decisionis ratio desunta videtur ex comment. Gagi ad Legg. XII. nec*

B 2

(1) In L. fin. C. de pactis inter emt. et vend.

non ex scriptis *Pauli ad Edictum* (2). Sed an talis conventionio etiam illius sit roboris et euentus, ut conductorem plene ex omni parte tutum reddat aduersus emtorem expellentem? iam alia quaestio est. Et si in re ancipite sententiam dicere licet, ob restrictam naturam dominii voluntate partium translati, eam omnino illius euentus esse credo, ut conductorem plene tutum reddat. Quae sententia, sicuti naturae rei conueniens est, ita nec legibus destituitur. Ait enim ICtus *Marcianus* (3) in Lib. I. Inst.: *qui hac lege venerint, ne manumittantur — licet manumittantur, tamen ad libertatem non perueniunt.* Quod deinde sua constitutione confirmauit Imp. *Gordianus* (4) seqq. verbis: *ea quidem mancipia, quorum venditio eam legem accepit, ne ad libertatem perducantur, etiamsi manumittantur, nancisci libertatem non possunt.* Et ne quis obmoueat, in his legibus tantum sermonem esse de mancipiis, quorum manumissiones ut restringerentur, admodum saepius intererat reipublicae, ne ad libertatem pervenirent, quia plerumque erant vilissima, et inutilia pondera terrae: prouoco ad ipsum Imp. *Iustinianum*, qui generatim, et non habito respectu ad certam classem rerum, ita disponit (5): *Sancimus, siue lex alienationem inhibuerit, siue testator hoc fecerit, siue PACTIO contra-*

(2) L. 48. ff. de pactis, L. 20. (4) In L. 5. C. si mancipium ita §. 1. ff. de pactis dotal. (5) In L. fin. C. de rebus alienis fuerit alienatum.

(3) In L. 9. §. 2. ff. qui et a quibus. — adde L. 9. ff. de manumiss. non alien. testam.

hentium hoc admiserit, non solum dominii alienationem, vel mancipiorum manumissionem esse prohibendam, sed et ususfructus dationem vel hypothecam, vel pignoris nexus penitus prohiberi. Ex quibus legibus coniunctim sumitis haud obscure conficitur, alienationem rei contra eiusmodi pactum susceptam, non tantum actionem personalem operari aduersus alienantem ad id quod interest; sed potius illius effectus esse, ut ea ex omni parte sit nulla; quam sententiam etiam defendunt SANDE (6) et HERTIVS (7), Icti eruditione et auctoritate nulli cedentes. Sed quo rariores apud nos occurrunt venditiones rerum eiusmodi generis, quo scil. dominus rem suam alienans, in ipso actu contractus eam ab emtore rursus conducit: eo sane infrequentiora multo magis erunt pacta eiusdem conditionis, quibus conductores sibi plene prospicere possunt. At in casu *posteriore*, quo nimirum pactum est *constitutuum*, illud quidem, si rem generatim spectamus, efficax esse potest: modo ponamus, promissarium probare posse, sua interesse rem non alienari; alias inutilis manet conventionis, nisi poena conventionalis sit adiecta (8); sed in casu nostro, quo scil. conductor rei alterius in ipso contractu sibi stipulatur, ne res alienetur, illud nullius momenti esse in aprico est. Nec pro hac assertione probanda opus est auctoritate Pomponii (9), qui dicit: *nemo paci-*

B 3 *...no faciat quoniam ob ... frondem non scendo*

(6) *De prohibit. rer. alienat.*, Part. IV. cap. 2. §. 18. sqq.

(8) Arg. L. 38. §. 17. ff. de verb. obl. Io. A SANDE I. c. §. 1.

(7) *In diss. de pacto ne dominus rem suam alienet.* §. 12. sqq.

(9) In L. pen. ff. de pactis.

*scendo efficere potest, ne vicino inuito praedium alienet.* Hic enim locus de illo casu ab omnibus recte intelligitur, quo vicini haud interest, praedium non alienari: sed sunt aliae rationes iuris, quae me mouent, vt hanc cautionem reiiciendam esse putem. Scil. conuentio ius tantum in personam tribuit, rem ipsam non afficit. Emtor rei locatae est successor singularis, qui ex facto auctoris obligari nequit, cum non succedat in illius obligationes personales: hinc nec actio inde oriens contra emtorem efficax esse potest. Et hoc est, quid VLPIANVS (<sup>10</sup>) docet verbis: *actio in personam semper aduersus eundem locum habet;* et resoluto iure locantis, ius quoque conductoris extinctum intelligitur, ita, vt omni fundamento agendi destitutus sit conductor aduersus emtorem expellentem. Quae cum ita sint, vera est sententia eorum, qui hanc cautionem inutilem reputant; hinc caue, tu illius suarib[us] confestim quidquam tribuas. Obligat erim eiusmodi conuentio tantummodo personam locatoris ad praestandum id, quod conductoris interest, quae tamen obligatio per se iam adest, ideoque iam vi contractus adimpleri debet. Quo facilior autem atque simplicior est haecce argumentatio, eo magis sane mirandum est, quid causae fuerit, quare TITIVS (<sup>11</sup>) et EISENHART (<sup>12</sup>) ICti de iurisprudentia ceteroquin bene meriti, et tantum quae προς τα αλογα pertinent, docere non adsueti, hanc cautionem de nouo quasi conductori-

(10) In L. 25. pr. ff. de oblig. et act.

(11) Ad LAVTERBACHIVM Lib. schen Rechte in Sprüchwörtern I. c. XIX. tit. 2. verbis: *non alienaturum.*

(12) *In den Grunds. der dent.*

*pag. 353.*

ductoribus commendandam propinauerint. Merito igitur a viris doctis, harum rerum intelligentibus, WERNERO<sup>(13)</sup>, MULLERO<sup>(14)</sup>, ORTH<sup>(15)</sup> aliisque reicitur, et ut insufficiens et imperfecta denotatur.

Et hoc iure etiam vntuntur in urbe patria, et quidem nullo habito respectu, vtrum contractus locati ineatur cum ciue, an cum extraneo. Quamuis enim iuxta statutum XXIX.<sup>(16)</sup> prohibita sit cuiuscunque generis alienatio rerum immobilium in extraneos; tamen haec prohibitio cum IO. ALMERO in *Glossa ad cit. statutum*, non adeo extendenda est, ut etiam ad contractum locati porrigitur, propterea, quod testante VLPIANO<sup>(17)</sup> locatio dominium mutare non soleat, ideoque ad species alienationis haud pertineat; hinc pactum de non alienando, siue cum ciue conductore, siue cum extraneo ineatur, secundum principia iuris communis diiudicandum esse existimo.

#### §. 5.

#### II. *De iurata promissione locatoris de re locata non alienanda.*

Sed nec praestabilior est altera cautio, qua conductoribus prospicere student ICti, et quae in iuratam promissionem locatoris de re pendente conductionis tempore non alienanda,

(13) In obs. for. Tom. I. Part. 2. obs. 360.

(14) Ad STRVIVM exerc. 24. thes. 27. not. 7.

(15) Ueber die Frankf. Reform. 1. Fortsetzung pag. 248.

(16) Conf. GERH. OELRICHS in der Sammlung alter und neuer Gesetzbücher der freyen Reichsstadt Bremen, pag. 462.

(17) In L. 39. ff. locati. STRYK in caut. cont. Sect. 2. cap. 9. §. 6.

alienanda, delabitur. Scilicet putat BARBOSA <sup>(1)</sup> princeps illius auctor et suasor, praestito iure iurando locatoris, emtorem ceu successorem singularem ideo stare debere locationibus auctoris sui, nec soluendo eo quod interest liberari, quod conductor propter iusiurandum nanciscatur specialem hypothecam in re conducta, adeoque ius in re, cui deinde possit insistere eodem effectu, ac si bona locatoris ipsi expresse essent obligata. Quae oratio, si genuinis rationibus niteretur, laudata cautio conductorem respectu eius quod interest securiorem omnino redditura videri posset, quam ea neglecta; praesertim cum hypotheca per praestitum iuramentum effecta, vt legalis et tacita considerari deberet, quae nec confirmatione iudiciali opus haberet <sup>(2)</sup>. Sed vix credo, hodie aliquem futurum esse, qui in castra *auctoris* illius statim transeat. Primo enim, posita etiam aliquamdiu propositione vt vera, conductorem iuramento locatoris nancisci hypothecam specialem in re locata; in § sequente probatum dabo, cautionem hypothecariam conductori tantum prospicere ratione eius quod interest, neutiquam ratione continuationis contractus. Secundo falsissimum est, iusiurandum tanti esse roboris et efficacie, vt ei, cui iuratum est, tribuat ius aliquod in re. Deficiunt enim leges, sine quarum adiumento nemo sibi ius hypothecarium arrogare potest. Potius

(1) In comment. ad Cod. ad L. 9. (2) Cf. PVFEND. Obs., Tom. 3. C. de loc. cond. n. 16. — cui ad- obs. 180. STRVBE R. B., Th. 1. stipulatur SERAPHIN de priv. iuram. Bed. 19. pag. 158. n. 2.

tius obligatio ex iureiurando oriunda, mere est personalis<sup>(3)</sup>, quae emtorem seu tertium non stringit, nec locatori ius alienandi aufert<sup>(4)</sup>.

Proinde aperte sequitur, vt conductor, si illius locator, cui nec ars nec fides est, non obstante iureiurando rem locatam alienat, et factae locationis rei mentionem in contractu non facit, iuramentum contra emtorem allegare nequeat, salvo tantum ipsi regressu contra locatorem ad id quod eius interest, vi recte rationes subducunt Cocco<sup>(5)</sup> et alii. Nec mouet, quod nonnulli vrgent<sup>(6)</sup>, contractum quidem locationis non per locatorem, sed per nouum successorem singularem violari, ius tamen emtoris ex facto locatoris dependere; iurantem autem se aliquid facturum non esse, nec per alium efficere oportere. Ex hac enim ratiocinatione illud tantum consicitur, quod locator rem locatam nihilominus alienans, fiat periurus: periurium autem est delictum, et reatus delicti ne quidem ad successorem yniuersalem, multo minus ad singularem extendi potest: quamuis locator iustis poenis subiiciendus censeatur, ob violatam fidem iuratam.

Nec secus sane quam hactenus dictum est, res comparata esse videtur iuxta *ius patrum Bremense*. In statutis enim nihil dispositum legimus, de hypotheca mediante iuramento efficienda; hinc iterum laudata cautio secundum ius commune diiudicanda venit.

§. 6.

(3) Vir perill. G. L. BOEHMER  
*in princip. iur. can.* §. 338.

(4) AYRER *in opusc. varii arg.*  
pag. 245.

(5) *In Iur. contr. L. xix. tit. 2. qu. 23.*

(6) STRYK et TITIVS *in notis ad LAVTERB.* Lib. XIX. tit. 2. verbis:  
*iurauerit.*

C

## §. 6.

III. *De iure pignoris conductori in re locata constituendo.*

*Tertia cautio ad cuius excussionem progredior, absoluitur iure pignoris in re locata conductori constituendo. Sed etiam illius auctores et suasores, vti mea fert sententia, egregie fallunt et falluntur, si ea opinione ducuntur, vt statuant, conductorem ob ius in rem, quod nactus est, iam nunc plene et ex omni parte contra emtorem expellentem sese fueri posse. Potius cautio commendata ad minus quam perfectas referenda censebitur, non solum si rem ex iure communi aestimauerimus, sed et si mente nostra ius Bremense circumspexerimus. Si enim rem*

*I. ex iure communi aestimamus, inter omnes constat, indolem et naturam constituti iuris hypothecarii id tantum operari atque efficere, vt conductor rem locatam et sibi oppignoratam tamdiu retineat, donec id quod eius interest fuerit consecutus: quo ipsi a successore singulari praestito, nihilominus cedere debeat. Quae sententia nec rationibus iuris destituta videtur. Cum enim praestito eo quod conductoris interest, in cuius securitatem hypotheca constituta appareat, nexus pignoris constituti soluatur<sup>(1)</sup>, naturae rei nil magis conueniens esse potest, quam vt conductor cedat emtori, etiam ante finitum locationis tempus. Quibus nec obstat dubium, quod mouent D<sup>AN</sup>. FRID. HOHEISELIVS<sup>(2)</sup> et alii: scil. actionem ad id quod interest*

sua  
 (1) Audias verba VLP. in L. 6. videtur liberasse." Adde L. 12. §. 1. ff. quibus modis pignus — "qui §. 1. cod., et L. 16. §. 3. ff. de pign. paratus est soluere, merito pignus (2) In diss. cit. §. 9.

sua natura esse actionem subsidiariam dicentes, qua, vt quis experiatur, non ante cogi possit, quam quatenus id quod est in obligatione principali, amplius praestari nequeat; quod tamen eo casu, quo conductor adhuc incumbat rei locatae, eamque detineat, secus se habere putant. Sed quis in hoc dubio obmoto non statim perspiciet, illud tantum esse apparet. Si conductori lis tantum est cum locatore, qui iuxta tenorem contractus locati promissa non seruat, cum forsitan ipsum negotii iam poeniteat, et hinc paratus est ad praestandum id quod interest, veram esse sententiam prolatam concedo. In persona enim locatoris duplarem obligationem intelligimus, quae tamen *alternativa* non est: *alteram* scilicet ad concedendum usum rei locatae secundum naturam contractus, quae est *princeps* obligatio: *alteram* ad praestandum id quod interest, quae est *subsidiaria*. Iam vero inter omnes constat, neminem cogi posse vt ad implementum obligationis subsidiariae agat, quoad implementum obligationis principalis adhuc fieri potest. Sed ex facto supposito conductori lis non est cum locatore, sed cum *emtore* seu quocunque alio successore singulari. In successore autem singulari duplex ista obligatio non conspicitur. Is enim, cum dominium rei locatae semel adquisuerit, siue traditione rei, siue quacunque alia ratione, suo iure iam petit rem locatam a conductore iusta actione hunc in finem instituenda, siue sit imploratio officii iudicis, siue remedium spolii, siue rei vindicatio, siue condictio ex lege, siue aliud cuiuscunque generis remedium. Et quamvis conductor virtute

iuris hypothecarii, gaudeat iure retentionis qualificato, illud tamen iuxta sui ipsius naturam, tamdiu tantum exercere potest, donec de eo quod ab actore vicissim debetur, sit satisfactum. Emotor autem rei locatae ad id tantum tenetur, quod conductoris interest: cuius praestatione is tanto magis contentus esse debet, quo certius constat, naturam pignoris ordinariam id quidem non aliter ferre, cum supra monere iam licuit. Quibus omnibus id consequens est, ut obligatio ad concedendum usum rei locatae, personam emotoris plane non stringat, hinc omnia in condemnationem eius quod conductoris interest, desinunt atque delabuntur, nihil praeterea operante iure pignoris conductori in securitatem iuris sui constituto. Ita post cohortem veterum ICororum, nouiori aetate sentiunt et docent HERTIVS<sup>(3)</sup>, WERNER<sup>(4)</sup>, VOET<sup>(5)</sup>, SCHAVMBVRG<sup>(6)</sup>, ORTH<sup>(7)</sup>, AYRER<sup>(8)</sup> et alii complures.

II. Quodsi rem adeo aestimamus secundum *Themidem Bremensem*, tot noua obstacula et impedimenta se nobis offerunt, quot ad cautionem hypothecariam, de qua in praesentiarum sermo est, inutilem atque inanem fere reddendam sufficiunt, e quorum numero potiora tantum

recen-

(3) *In comment. et opusc.* Vol. I. (6) *In notis ad STRVIVM Lib. 3.*  
tom. 3. pag. 486. n. 5. tit. 12. § 15.

(4) *In obs. for.*, Tom. II. Part. VII. obs. 227. (7) *In der ersten Fortsetzung der Anmerk. über die Frankf. Reform.*  
Part. 2. Tit. XIV. §. 11.

(5) *In comment. ad Dig.*, Lib. XIX. tit. 2. §. 18. (8) *In diatr. de genere act. ad versus conductorem etc. — in eiusd. opusc. variis arg.* pag. 246.

recensebo. Quem fugit, nouiori aetate in Germania generatum fere introductum esse, ut cuiuscunque generis alienationes rerum immobilium, ideoque etiam constitutiones hypothecarum in rebus immobilibus non aliter vim et efficaciam habeant, quam si iudiciali auctoritate per agantur (9). Qui mos, cum etiam suo modo in urbe patria viget, illius simul mentionem facere iunat. Seilicet distinguunt inter urbem veterem et nouam. In urbis veteris aedibus, quas vocant *Weichbilde*, laudatus mos in viridi est obseruantia, ita, ut extra judicialis constitutio nullius effectus censeatur, iuxta tenorem Ordal. XLVII. et XLVIII. "Nen man en mach setten wicbilde he en dut vor den radmaznen, dar erer mer syn den de helste yegenwardich" (10). — Ratione immobilium autem urbis

C 3      nouae,

(9) CLAPROTH *V. C. in iurisprud.* extra iud. §. 25. ibique not. b. cit. DD. — RVNDE *V. C. im deutschen Privatrecht* §. 221.

(10) GERH. OELRICHS l. c. pag. 522. — Cf. etiam PAVL. KOCH in *synopsis et concordantia statutorum Lib. Reipubl. Bremensis, nec non ciuitatis Verdensis et Oldenburgesis*, tit. 3. §. 65. ibi: *pignori non possunt dari immobilia in urbe sita, nisi dimidietas magistratus praesens sit.* — Ordeel XLVII. — Quae sententia ad propositam in Senatu quaestionem: *Ob Weichbilder aufserhalb Gerichts verpfändet werden*

den können, wenigstens dahin, dass solche Verpfändung andern Buchschulden, schlechten Handschriften und mündlichen Verpflichtungen vorzuziehen sey? — concluso Amplissimi Senatus Bremensis de anno 1652. d. 25. Febr. confirmatur, cuius tenor fere hic est:

*IVeil das Stadtbuch im Ordeel 47 und 48 diese Frage also bereits erörtert: das Niemand Weichbilde setzen, oder verpfänden möge, es geschehe dann vor den Rath-Männern, da ihrer mehr denn die Hälfte gegenwärtig seyn.*  
— Es auch also bisher zugehalten

*nouae*, ius commune Rom. sequuntur, ita ut hypotheca in his rebus etiam extra locum iudicij cum effectu constitui posse videatur (11). Sed quia iuxta Statutum XXIX. supra iam eit. cuiuscunque generis alienationes rerum immobilium in extraneos seu Nonciues sunt prohibitae, et verba statuti expresse oppignorationis et constitutionis annuorum reddituum mentionem faciunt, sequi sane videtur, laudatam cautionem *extraneis* non prodesse, sed *ciuibus* tantum, et quidem ratione eius quod interest, non ratione continuationis contractus; modo ponamus, non adesse alios creditores ciues, quibus antiquius ius hypothecarium in

*ten, und der Vorfahren Meynung zu verschiedenen Mahlen ausdrücklich dahin gingen, dass in Kraft solches Stadtrechtes, die außerhalb Gerichts, und nicht vor mehr dann die Hälfte der Rathmänner geschehene Verpfändung der Weichbildern belegener Erb und Gründe, sie seyen insbesondere, oder unter dem Namen aller Güter insgemein vorgenommen, für nichtig und von keinen Würden zu achten, und dahero auch keinen anderen bloßen Schulden vorzuziehen seyen. Dass es darumb allerdings sein Verbleiben haben müsse und solle.*  
Adde sis Io. WACHMANNVM in notis ad Ordeel 48, qui decisionis iudicialis mentionem facit de anno 1617

in causa concursus cred. ALLRICH ALLRICH: "dass die extrajudiciales hypothecationes der Weichbilde pro nullis allerdings zu halten; und den chirographariis nullo modo zu präseriren." — Quinimo teste HENRICO KREFTINGIO in Glossa ad Ord. 48. ne quidem hypotheca a venditore in re vendita reseruata, absque confirmatione judiciali valida censetur.

(11) Ita nimirum conclusum est in Amplissimo Senatu Bremensi anno 1667. d. 17. Dec. scil. *dass in der Neustadt frey bleibet die Hypothecation der Häuser und Gärten sowohl extrajudicialiter kräftig zu verrichten; und eines jeden Recht, quoad ipsam constitutionem ex die hypothecationis zu rechnen sey.*

in re locata competit, quippe cum in hac materia iuri  
communi non sit derogatum.

Sed superest alia difficultas in *urbe patria* dominans,  
quae prae reliquis excellit, et hinc cautionem hypothecariam  
in plerisque casibus inutilem fere efficit, cuius in-  
dolem iam breuiter describam. Scilicet iuxta Ordal.  
XLVIII. (12) creditoribus generatim, ideoque et creditoribus  
locatoris, ius competit, constitutioni hypothecae intra  
mensem contradicendi et vim et effectum illius impediendi,  
quod vocant *den Beyspruch der Hypothek*. — Breuem, sed  
accuratam delineationem huius iuris exhibet PAVL. KOCH  
l.c. §. 63. sqq. verbis: “hypothecae, ait, qui dicto modo  
dat immobilia, et iam *alteri* debet, ille, cui debet, in-  
strumento, quod confectum est, potest contradicere intra  
mensem, et debitum suum probare: vt autem eo melius  
id fieri possit, instrumentum hypothecae Senatores tamdiu  
apud se debent retinere, nisi debitor eo nomine dederit  
fideiussorem.” Ita enim verba *Ordalii* cit. sonant: *Were  
he ok sculdich de ghenne deme he sculdich is de mach de  
sate bis spraken bynnen deme negesten manete, also vele  
he syner sculde vullenkommen mach also enes stades recht  
is, wurden dar ok breve uppe willekort, de scolen de  
rademanne under sikh holden ok to eneme manete id en  
sy also dat de genne de de hantveste gift se beborgen  
mochte* (13). — Ceterum hoc iure gaudent non solum  
creditores hypothecarii antiquiores, sed et omnes reliqui  
in

(12) Idem l.c. pag. 523.

(13) Cf. Idem in glossario ad sta-  
tuta Bremensia, voce: *Byspraken*.

in personam tantum ius habentes, cuiuscunque sint generis, siue ciues siue peregrini; certo et evidenti sane indicio, effectum huius iuris non illum esse, vt creditores ius aliquod in re consequantur, sed vt potius impedian, quo minus debitor bona sua in ipsorum praeliudicium aliis efficaciter obligare queat. Cumque etiam hoc ius in effectu arresto proximum et simile esse videatur, exercitium illius ad formam arresti extra judicialis adstrictum esse apparet. Scilicet praecedat legitima arresti impetratio necesse est, quam deinde sequitur legitima illius introductio et iustificatio in iudicio. Subsecuta tandem conclusione in causa, de iustitia arresti impetrati fertur sententia, qua illud *vel* confirmatur: quo casu hypotheca tollitur; *vel* relaxatur arrestum, iuncta condemnatione in expensas, et imposta simul obligatione impetranti, adversario resarcendi damnum cuiuscunque generis exinde illatum.

Ex quibus omnibus id aperte conficitur, esse et manere cautelam hypothecariam conductori *minus quam perfectam* (<sup>14</sup>), immo interdum penitus fere *inutilem*, prouti vel respicias ius commune, *vel* ius patrium *Bremense*.

#### §. 7.

#### IV. *De coniungenda hypotheca in re locata cum pacto de non alienando.*

Sed iam ad *quartam* cautionem res peruenit, quam Icti prae ceteris et omnino commendatione dignam iudicant,

(14) Cf. HOHEISEL in diss. cit. §. 10.

cant, et quae in coniunctione hypothecae in re locata consistit, cum pacto de non alienando<sup>(1)</sup>. Quotquot autem sunt, qui hac ratione suis consiliis prospexitse putant, omnes effectum consiliorum in nullitatem alienationis desinere statuunt, et hinc conductores iam nunc *plene* tutos esse aduersus emtorem expellentem, arbitrantur; licet nullus eorum huius sententiae rationes adferre audiat: quod tanto magis mirandum est, quo confidentius cuncti fatentur, nec solam hypothecam in re conducta id effectus habere, nec solum pactum de non alienando absque hypotheca, Quo autem pacto fieri possit, vt duo *entia iuridica*<sup>(2)</sup>, quorum quodus in se spectatum conductorem aduersus emtorem *plene* tutum reddere non valet, tantum effectum producant, si inter se coniungantur, et cuius rei ratio non in singulo quousque *ente*, sed in eorum coniunctione collocandum est: id omnino iam esset, de quo quaestio mouenda. Evidem, si dicendum quod res est, ingenue fateor, mihi non licere tam esse felici, vt rationem huius vis et efficaciae perspicere queam; hinc etiam a me hucusque impetrare non potui, vt in *Tantorum Virorum* castra transirem, qui arbitrantur, cautionem laudatam conductores *plene* tutos reddere aduersus emtorem expellentem.

## §. 3.

(1) *Auctores et suasores* illius vide  
sis supra §. 2.

(2) Sit *venia verbis*. — In physicis rem se aliter habere scimus ab effectu evidentissimo.

D

## §. 8.

*Continuatio, qua sensus L. 7. §. 2. ff. de distr. pign.  
eruitur.*

Nihilo tamen secius res ipsa fundata videtur in libro sing. ICti Marciani (<sup>1</sup>), cuius verba ita se habent: *quaeritur, si pactum sit a creditore, ne liceat debitori hypothecam vendere vel pignus, quid iuris sit, et an pactio nulla sit: talis, quasi contra ius sit posita, ideoque venire possit? Et certum est, nullam esse venditionem ut pactione stetur.*

En verba clara, quae idem id continent, quod *Viri Docti* suadent! Sed antequam dicam quod sentio, temperare mihi haud possum, quin breuibus moneam, de genuino huius fragmenti sensu iam olim item fuisse inter interpres: BARTOLO nullam esse venditionem, et sic pactum istud contra ius non esse defendant: BALDO autem nullam esse conuentionem contendente: aliis confugium quaerentibus in arte critica, inter quos nonnulli loco *debitori*, legendum esse statuerunt, *debitoris*. Alii verba finalia transponenda esse crediderunt, et loco: *nullam esse pactionem ut venditione stetur*, legi voluerunt: *nullam esse pactionem ut venditione stetur*. Alii denique ad alia configuerunt. Sed recte monet STECKIVS (<sup>2</sup>), *ICtus et Commissarius quondam generalis Reipubl. Bernensis, pericu-*

(1) L. 7. §. 2. ff. de distract. (2) In observationibus anticrit. pign.

apud Ev. OTTONEM in Thes. T.I.  
pag. 523.

periculosa esse eiusmodi correctiones, propterea quod  
inde ius lubricum reddatur, quo in republica maius ma-  
lum non existit. Quae cum ita sint, lectionem vulgarem  
retinendam esse credo, idque tanto magis, quo certius  
constat, mihi ut iuueni, metas *Legis quinauicenniae*  
nondum praeteruecto, eiusmodi correctiones temerarias  
non conuenire: hinc aliam eluctandi viam mihi quaeren-  
dam esse satius duxi. Quae ut rite ineatur, consilium  
GVIL. FORSTERI<sup>(3)</sup> sequor, qui in legibus interpretandis  
ad rationem potius, quae anima legis est, quam ad verba  
respiciendum esse iuste et recte censet. Ratio autem  
laudatae decisionis non *plenissimum* defectum obligatio-  
nis inter debitorem et entorem concernit, sed *effectum*  
*tantum alienationis* rei hypothecatae respectu creditoris  
hypothecarii respicit. Cuius rei consequens est, omnia  
iam eo redire, utrum verba legis: *nullam esse venditio-*  
*nem*, hic idem denotare, ac *obligationem plane nullam*  
*inter contrahentes producere*, ita, ut totum negotium  
*generatim in abstracto et absolute nullum sit*, quia *aut*  
*ex natura rei defectu substantiali laborat*, *aut* lege aliqua  
*positiva expresse nullum declaratum est*: an vero idem,  
ac *effectibus suis tantum destitui*, scilicet ratione credito-  
ris, ita, ut venditio tantum in *concreto*, vti dicunt, et  
*respectu sit nulla*, quae, quia iuri quaesito creditoris  
contrariatur, exceptione elidi potest<sup>(4)</sup>. Prior signifi-  
catus

## D 2

(3) *De iuris interpretatione* L. 2.  
cap. 2. apud Ev. OTTONEM in Thes.  
Tom. II. pag. 1006.

(4) Vir perill. Io. STEPH. PÜTTER  
*in progr. quod sistit theoriam gé-*  
*neralem de nullitate.* Gott. 1759.

catus huic ideo non pertinet, quod *partim* venditio rei tertio oppignoratae, iuxta naturam rei defectu aliquo substantiali non laborat, cum res transeat cum sua causa: *partim* quod alia lex positiva antiquior non suppetit, quae eiusmodi venditionem sub lege nullitatis absolutae prohibet: *partim* denique, quod eiusmodi venditio, nulla ratione valida reddi posset, ne quidem consentiente in posterum creditore. Hinc *posterior* significatus huic spectet necesse est, qui tam ex ipsa legi ratione clarissime euincitur, quam rebus quae circumstant et usui loquendi optime conueniens esse intelligitur. Sicut enim *actio* interdum dicitur *nulla*, quae vel exceptione remoueri potest, vel propter inopiam aduersarii cum effectu institui nequit<sup>(5)</sup>: ita sane in lege nostra venditio *nulla* vocatur, cui scil. ex parte creditoris contradicere licet, quod nimis ius illius quaesitum adhuc perdurans est. Hoc enim sublatu, nec venditio amplius nulla censebitur, quemadmodum *actio nulla* et sine effectu non est, quando exceptioni oppositae sit satisfactum. Quibus rebus ita comparatis, quemlibet intelligere arbitror, me, dum adiicio, venditionem rei hypothecatae contra pactum conuentum susceptam esse nullam, eam tamdiu tantum nullam esse velle, quoad creditori hypothecario de credito suo non sit satisfactum. Id enim paucando nunquam poterit effici, ut in perpetuum debitori  
pigno-

(5) Cf. L. 6. ff., L. 7. §. 8. ff. de Vicat in vocabulario iuris virius délo malo. BAON. BRISONIVS de que — voce: nullum. verb. sign. voce: nullus. B. PHILIP.

pignoris alienatione interdicatur, quod foret pactum contra ius et fas, ideoque nullum in significatione priore, et non obligatorium: verum interdicitur tantum, quamdiu nexus pignoris consistit. Cum enim creditor hac ratione pacisendo id tantum efficere studeat, ut *partim* sit securus ratione commodi possessionis, quia satius est pignori incumbere, quam illud vindicare aut condicere: *partim* ut ne pignore penes tertium existente, onus probandi subire cogatur, rem pertinuisse ad bona debitoris eo tempore, quo ita conuenit: *partim* denique ne exceptione excussionis, quae nouo iure tertio possessori conipetit, oneretur, *reliqui*: consequi sane videtur, ut praestito creditori ab emtore rei hypothecatae eo quod interest, cessare etiam debeat vis pacti, ita, ut venditio rei contra pactum suscepta, iam nunc pleno effectu valere incipiat.

His omnibus ad *cautionem* de qua mihi sermo est, rite et circumspecte accommodatis, omnia sane, ubi ad verum ventum est, eo desinunt atque delabuntur: scilicet constitutio hypothecae in re locata, accidente licet pacto de non alienando, conductorem tantum securum reddit ratione eius quod interest, non ratione continuationis contractus; hinc *plene* et ex omni parte aequa minus praestat securitatem aduersus emtorem expellentem, ac sola hypotheca absque pacto conuento<sup>(6)</sup>. Hinc inconcussa stat

D 3 senten-

(6) Cf. Dyonis. GOTHOFREDI *an-* Ev. OTTONEM Tom. III. p. 302. — *maduersiones iuris civ.* cap. 14. apud Io. Nic. HERTIVS *in diss. de pacto*  
*tie*

sententia; quam supra iam dicere licuit, cunctas nimirum cautiones a Viris Doctis hactenus suppeditatas, *partim* esse imperfectas, et plane inutiles; *partim* minus quam perfectas, ideoque non tanti eventus, ut conductorem in possessione rei locatae usque ad finem contractus tueantur.

§. 9.

V. *De constituendo usufructu, iure emphyteuticario et iure superficie in re locanda conducenda.*

Quae hactenus disserui de insufficientia cautionum, quibus ICti conductoribus prospicere student, certe eam cautionem non semper et ubique tangunt, quae ultimo loco posita appareat, et quae constitutione ususfructus iuris emphyteuticarii et superficie in re locanda conducenda absolvitur. Quod enim

I. *ius ususfructus* attinet, illud a iure pignoris et hypothecae in eo quam maxime differt, quod sit constitutum non tam in *securitatem*, quam potius in *utilitatem* alterius, scilicet ut omnibus emolumenis frui liceat, quae ex re aliqua ad hominis utilitatem peruenire possunt, et propter quam res est comparata, plerunque salua substantia

*ne dominus rem suam alienet.* — tur. Conductor enim pacto de non in eiusd. *comment. et opusc.* Vol. I. alienando dominium rei conductae Tom. III. pag. 95, — qui ita con- non adquisivit: transit itaque dominiū ad emtorem, sed ita, si cludit §. 22: “sed nec pactum, vt ne res alienetur, licet cum hypo- proper ius hypothecae interesse theca coniunctum, impedire potest, conductori praestiterit.” quo minus locatio conductio finia-

stantia rei; interdum etiam ea absuinta. Cum autem natura huius iuris ita ferre non videatur, vt in pignore et hypotheca, vt is qui iure vsusfructus rem persequitur, a vindicatione illius remoueri soleat, si qualiscunque possessor offerre velit: per se iam cessat in emtore rei fructuariae facultas praestandi id quod possessoris interest; et hinc utilitas cautionis prae ceteris in aprico posita est, quae commendatione omnino digna censerri potest.

Nec obstat, quod constitutio vsusfructus in re aliena per se tantum titulum iuris contineat, vi cuius utilitates rei percipere licet, ad cuius dominium consequendum traditione rei fructiferae ideo opus est, quia conuentione ntititur<sup>(1)</sup>. Etenim contrahentibus vias ingredi licet, quibus traditio *vel* actu fit, *vel* in certum euentum pro facta assumi posest. Scilicet partes vel statim ab initio loco contractus locati conducti, emtionem venditionem vsusfructus rei locandae ad certum tempus inire possunt, cuius iustum formulam exhibet HOHEISELIUS l. c. — Quo facto conductor, seu potius fructuarius, *plene* et ex omni parte tutus est, aduersus emtorem expellentem, propterea, quod natura vsusfructus non patitur, aliquem offerre possessori id, quod eius interest, ad effectum, vt ille iam re ipsa carere debeat. Potest vero etiam ab initio locatio conductio a partibus celebrari, in euentum tamen alienationis subsecutae, vsusfructus constitui, adiecto scilicet pacto

*consti-*

(1) L. 3. pr. ff. de usufr., L. II. §. I. ff. de publ. in rem act.

*constituti possessorii* (2). Cum enim vis huius pacti in eo consistat, ut una cum possessione ius ipsum in alterum transeat, cuius ratio in traditione breui manu posita apparet, quae pacto inesse dicitur: conductor casu eueniente ut fructuarius considerari debet, propterea, quod conditio iam existit, in cuius euentum ius vsufructuarium est constitutum.

Deinde nec obstat, conductorem iuxta naturam vsusfructus, a momento, quo ut fructuarius consideratur, rem fructuariam reficere teneri, illumique de restitutione futura cautionem praestare, onera et tributa, quatenus rei imposita sunt, sustinere oportere. Nam omnes hae difficultates *naturalia* tantum vsusfructus constituunt, *essentiam* illius non ingrediantur; cuius rei consequens est, ut iusto pacto iis possit derogari.

Sed restat alia inspectio, eaque haud parui sane momenti, de qua breuiter disserere constitui. Scilicet notum est, vsumfructum in heredes non transire, sed. morte fructuarii finiri, saltim morte heredis primi gradus (3), quia vsusfructus aliter nunquam ad suam rediret proprietatem. Qua hinc ratione cautio laudata heredibus illius,

qui

(2) Cuius vera sedes esse videatur L. 18. pr. ff. de adqu. vel am. poss. — Io. CHR. FALCKNER de traditione per constitutum. Jenae 1663. — PETR. MULLER de constituto possessorio. ibid. 1699. —

HIER. FRID. SCHORCH de constituto possessorio in legibus Rom. nonfundato, Erf. 1732. — GODOFR. MASCOV de constituto possessorio. Harderonici 1732.

(3) §. 3. I. de vsufr., L. 14. C. eod.

qui ea vtitur, vtilitatem praestare queat, iam quaestio moueri posset. Sed hoc dubio non obstante, cautionem in saluo esse puto. Primo enim leges, quibus sancitum legimus, morte fructuarii vsumfructum finiri, plerumque de vsufructu testamento relicto loquuntur: ne igitur in vniuersum inutilis esset proprietas, semper abscedente (i. e. separato seu seiuncto) vsufructu, placuit vsumfructum certis modis extingui, et ad proprietatem reuerti, vt mea faciam verba Icti Gaji in L. 3. §. 2. ff. de vsufructu, et inter hos modos finiendi primum locum tenet mors fructuarii. Cuius rei princeps ratio in praesumta voluntate testatoris posita, apparet. Si enim testator alicui in testamento prospicit, non simul heredibus illius prospexit videtur, quippe quos nimium saepe ne quidem nomine noscit; hinc et successore tam vniuersali quam singulari, ante testatorem defuncto, exspirat emolumentum, nec ad heredes illius transit; certo et euidenti sane indicio, leges non velle, vt vltra intentionem testatoris, voluntas illius extendatur. Deinde quamuis et leges inueniantur, quibus ob similitudinem et aequalitatem rationis, generatim statutum est (4), vt morte fructuarii vsusfructus finiatur, ita, vt de vsufructu quacunque ratione constituto loquantur: tamen eiusmodi dispositiones non prohibitiuae sunt, sed regulam tantum aliquam constituunt, que semper intelligi debent, saluo arbitrio partium, ita, vt huc collimare videatur tritum illud, prouisionem hominis tollere

*prouisio-*

(4) Cit. §. 3. I. de vsufr.

*prouisionem legis.* Naturam autem et indolem vsusfructus rite formati, abscisse ita non ferre, vt semper et in omni casu morte finiatur, nec vnuquam in heredes fructuarii transeat, id iam suo modo videre est ex constitutione IVSTINIANEA in L. 17. C. de vsufr. — potissimum autem id videre licebit ex loco VLPIANI<sup>(5)</sup> quem vt adiiciam, operae pretium erit. Scilicet ait ICTUS: *Si quis ita stipulatus fuerit, vti frui sibi licere: ad heredem ista stipulatio non pertinet.* Sed etsi addiderit sibi, non puto stipulationem de usufructu ad heredem transire, eoque iure utimur. Quia autem in traditionibus rerum quodcumque pactum sit, id valere manifestum est<sup>(6)</sup>, prudenter addit VLPIANVS l. c. sed si quis vti frui licere sibi heredique suo stipulatus sit: *videamus an heres ex stipulatu agere possit?* Et putem posse. Quid igitur multis? Fert ergo natura vsusfructus, vt in heredes ad tempus transeat, non modo si voluntati testatoris id quidem conuenit<sup>(7)</sup>, sed et si quis sibi heredique suo ita stipulatus est. Et cum iura, quibus hodie utimur, simplici conventioni eundem effectum tribuant, quem olim stipulatio habere solebat; nec inde nouum dubium mihi obstare putarem.

Sed ita sane res comparatae videntur, si eas aestimamus secundum principia iuris Romani. Quodsi enim ius

(5) L. 38. §. 10. 11. 12. ff. de V. obl.

(6) L. 48. ff. de pactis. — Adde HOHEISEL l. c. §. 19. L. 20. §. 1. de pactis dot.

(7) L. cit. 14. C. de vsufr.

*Germanicum*, et sigillatum ius patrium *Bremense* respiciimus; facies rei perquam mutata intelligitur; quae tamen mutatio rei, laudatam cautionem non penitus euerit, sed usum tantum illius difficultatibus quibusdam immoluit. Quarum difficultatum vis in quoniam consistat, quemlibet intellecturum esse arbitror, si animo perpendat, constitutionem vsusfructus aedium per se iam continere alienationem<sup>(8)</sup>, quae, si plenum effectum habere debet, ex moribus totius fere Germaniae, iudiciali confirmatione eget. Quae confirmatio iudicialis, an etiam iure patrio *Bremensi* sit de necessitate nec ne? quaestionem mouere solent. — Et posterior sententia verior omnino videri posset, quia in *statutis* neque de vsufructu, neque de emphyteusi et superficie, nominativi et specifice quidquam dispositum legimus, nec ea *statutorum* loca, quae de confirmatione hypothecae disponunt, huc villa ratione quadrare videntur, cum sint ad instar constitutionum speciarium, quae ad consequentias trahi non possunt. Sed his dubiis non obstantibus, eorum sententiam tutiorem esse credo, qui confirmationem, non quidem semper et ubique, sed tantum *suo modo*, necessariam esse statuunt. Scilicet distinguendum esse puto, inter immobilia *urbis veteris* et *nouioris*. In his auctoritate iudicali ideo opus non est, quod neque lex specialis, neque obseruantia, quae ad instar legis est, eam necessariam reddit; deficiente autem lege speciali et obseruantia, *ius commune Romano*

*num*

(8) L. 3. §. 5. ff. *de reb. eorum qui sub tut.*, L. fin. C. *de reb. alienis non alien.*

*num sequamur necesse est, quod nec sequi dubitant Populares, quoties de constitutione hypothecae in his rebus agitur intra priuatos parietes.* — *Quod autem constitutionem vsusfructus attinet, in illis immobilibus quae in vrbe vetere sita sunt, illius confirmationem iudicialem ideo necessariam esse puto, quod adeo hypothecarum constitutio in his rebus, illam praecise requirat, iuxta iam cit. Ordeel. XLVII. et XLVIII.* — *cuius dispositionis ratio, ne scilicet clandestinis hypothecarum constitutionibus creditores laedantur, ita generalis est, vt omnem omnino alienationem complecti videatur.* Quam philosophiam etiam agnoscere mihi quidem videtur *Codex nouissimus legum Borussicarum*, legislatoria prudentia et perspicuitate excellens (9).

Quibus rebus ita comparatis, suppeditata cautio iam nunc in saluo appareat, non solum si eam ex iure communi Romano, sed et si eam ex iure patrio *Bremensi* aestimamus (10). Licet enim inficias ire nemo possit, illius exercitium iuxta *ius patrium* multis modis impediri posse; tamen superatis his difficultatibus, quibus innoluta conspicitur, plene illa tutum reddit conductorem aduersus successorem singularem expellentem.

#### §. 10.

(9) *Allgemeines Landrecht für nos*, ceu supra §. 4. in fine iam die Preussischen Staaten, Th. I. monere licuit. Cf. IAC. BREVLIS Tit. 21. §. 73.

(10) Seruata tamen distinctione inter *cives* et *noncives* s. peregrini diss. de alienatione et oppignoratione iure statutario *Bremensi* restricta. Goett. 1773.

## §. 10.

*Continuatio cum epilogi.*

Sed restant *reliqua iura* realia, quorum mentionem feci § anteced. quibus conductores aequi felici successu sibi consulere poterunt aduersus successores singulares, quo illos prospexitse sibi constituendo vsumfructum cognovimus. Sunt autem haec iura

II. *ius emphyteuticarium et superficie* in re locanda conducenda constituenda, de quibus adhuc paucissimis agendum est. Scilicet utrumque ius, tam emphyteuticarium quam superficiei (<sup>1</sup>) illius naturae et indolis esse intelligitur (<sup>2</sup>), ut vero dominio proximum dicatur, propterea, quod praeter ius utendi fruendi, partem adeo *proprietatis* cum iure vindicandi a quoque possessore complectitur, quod *vtile* vocari consuevit. Hinc naturae rei admodum conueniens esse videtur, ut et effectus pariat, qui dominio respondeant. Inter quos refero, ut is, qui hoc iure nititur, ab emtore partis proprietatis seu *domini directi* (<sup>3</sup>), praestatione eius quod interest, nulla ratione

(1) In superficie *subjective* sumta, duplex ius distinguendum venit:

1) *ius in fundo alieno*. Hoc est ius, suo sumtu habendi aedificium in fundo alieno, et vocatur *ius superficiarum*, quod tam in rem, quam in personam esse potest.

2) *Ius in aedificio* seu ius, cuius obiectum est aedificium. — Et

hoc est *ius superficie*, quod semper reale est. De quo posteriore significatu mihi h. l. sermo est.

(2) L. 1. §. 1. in fin. ff. si ager vect., L. 1. §. 1. in fine et §. 6. ff. de superf.

(3) Iuxta veriorem sententiam *directum* idem est quod *principale*. arg. L. 3. §. 13. ff. ad exhib.

F

tione expelli possit; nec non vt sit ius *perdurans*, et cum effectu ad heredes quoscunque *transiens*. Quae indoles iuris id certe efficere videtur, vt conuentione partium non solum tempus aliquod definiatur, quamdiu sit duraturum, sed et de praestatione casus agatur, ad quem ista pertineat etc. Cum autem datio in emphyteusin etc. ad alienationem referri debeat, siue vsum loquendi Romanum veterem et *Justinianeum* (4), siue hodiernum respicias, quo superficiario et emphytentiae verum dominium, quod vtile dicimus, tribuitur: consequens esse videtur, vt conductores, si his iuribus in Germania cum effectu vti velint, eo laborent omnemque lapidem moueant, vt constitutio ipsa fiat auctoritate judiciali. Quae cum ita sint, eadem difficultates iam superandae veniunt, quibus remouendis opus erat in constitutione *vsusfructus* in re locanda. Sed multa supersunt, quae de his rebus dici possunt et debent, quorum vltiorem excussionem praestantioris ingenii scriptoribus libenti animo relinquimus. Hinc sufficient haec pro temporis et occasionis ratione: quibus tantum iungere liceat deuotissima vota pro sempiterna *urbis patriae* et optimi parentis salute, ad quam si quid in posterum conferre valeo, studia mea quam maxime coronata et remunerata censebo, et mens mea laetabitur, habebitque omnino de quo sibi gratulari possit.

(4) L. fin. C. de reb. alien., Nov. 7. c. 1.

COROL-

## C O R O L L A R I A.

---

I.

*In contractu aestimatorio dominium non transfertur.*

II.

*Pacta adiecta in essentialibus negotii nihil mutant.*

III.

*Negotiorum gestor culpam praestat leuissimam.*

IV.

*Solutione iurata compensatio non excluditur.*

V.

*Si is, qui compensare potest, soluit, duplificem habet actionem elective competentem.*

VI.

*Super iis, quae in testamento relictam sunt, etiam non inspectis tabulis, iure transigi potest.*

VII.

*Discrimen inter suos et emancipatos in totum sublatum non est.*

VIII.

*Interpretationem extensiuam sanctio L. 8. C. de reuocandis don. simpliciter non admittit.*

---

EMEN-

**COLLARIDA**  
**EMENDANDA.**

- Pag. 14. lin. 10. quid *Vlpiano* l. *quod Vlpiano*,  
pag. 24. lin. 3. iudicio l. *indicio*,  
pag. 28. not. (5) lin. 2. BAON. l. *BARN*,  
pag. 29. lin. 19. desinunt l. *desinunt*.

. V

Gentiliani, prima combinatoria non sussurrabile  
13 in, qui combinatoria forte, cum, qualiter, pugnat ad.

. VI

quam scitum combinatorium

(X2282109)

ULB Halle  
005 458 358

3





1795, 3

1046

51

DISSERTATIO INAVGURALIS

DE

VI ET EFFICACIA CAVTELARVM

PRO

TVENDO IVRE CONDVCTORIS

ADVERSUS

EMTOREM REI LOCATAE EXPELLENTEM

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

PRO

CONSEQVENDIS

SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS

D. XXX. IVN. MDCCXCV.

PVLICE DEFENDET

AVCTOR

H E N R I C V S L A M P E

BREMANVS.

G O E T T I N G A E

TYPIS IO. CHR. DIETERICH.

B.I.G.

